DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
APOPLEXIA;
QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOANNES GRIFFITH,

Hibernus.

Λυειν αποπληξιαν, ισχυρην μεν, αδυνατον, ασθενεα δε, ου ρηιδιον.

HIPPOCRATIS Aphorism.

CALENDIS AUGUSTI, HORA LOCOQUE SOLITIS.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT P. NEILL.

MDCCCXXII.

EDVARDO GLOSTER, ARMIGERO,

VIRO

NON MINUS COMITATE ET SUAVITATE MORUM,

QUAM BENEVOLENTIA,

ET OMNIBUS VIRTUTIBUS QUÆ VITAM EXORNANT,

CONSPICUO;

PROPTER MULTA BENEFICIA QUIBUS EUM

DIGNATUS EST,

HANC DISSERTATIONEM,

PERTENUE SED SINCERUM TESTIMONIUM

GRATI ANIMI,

CONSECRAT

AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

APOPLEXIA.

Johanne Griffith, Auctore.

Ex omnibus morbis quibus corpus humanum subjicitur, nullus magis perniciosus est, et nullus peritiam medicorum magis eludit, quam Apoplexia, de quo, legi hujus Academiæ obtemperaturus, singulos summos honores in medicina ambientes, jubenti, proferre in lucem opusculum de re medica, pauca dicere propono. Hic morbus merito attentionem medicorum sibi vindicavit, et quia nullus ad fatalem eventum magis proclivis est, et præsertim adoritur illos et ætate et experientia venerabiles. Apoplexia in natura ejus

insidiosissima est, nam quotidie illos, qui amicis suis bona valetudine frui videntur, et qui expectationem longæ vitæ habent, subito sine gemitu morientes videmus. Impetus et natura dolosa ejus sic ab erudito auctore describitur:—"Homo sanus, atque bene valens, de nullo morbo cogitet, ex improviso, plane attonitus redditur, atque inter epulas, chorea, et tripudia ita prosternitur, ut sine omni sensu, motu, vel mente jaceat, quomodo ac si fulmine vel infausto quodam sidere afflatus, perculsus fuerit."

DEFINITIO MORBI.

Celeberrimus Cullenus, quo non alter scientiam medicam magis exornavit, hunc morbum in classe Neurosium et ordine Comatorum collocavit, et in verbis sequentibus definivit:—"Motus involuntarii fere omnes imminuti, cum sopore, plus minusve profundo, superstite motu cordis et arteriarum." Porro, novem species enumeravit; sed, ut finis hujus libelli tractare de singulis non sinerent, de specie Sanguinea, et quia morbus sub hac forma sæpius videtur, et impetus ejus velociores sunt, et eventus magis fatalis est, pauca

mihi dicere liceat. Speciem Sanguineam CULLENUS sic definivit:—"Apoplexia (sanguinea) cum signis plethoræ universalis, et præcipue capitis."

HISTORIA MORBI.

APOPLEXIA in vernali vel autumnali tempestate plerumque adoritur, senes, et præcipue illos, qui supra sexaginta annos nati sunt, maxime aggreditur, sed pauca exempla sunt hujus morbi juvenes invadientis. Illi qui capita magna et colla brevia habent, et qui plethorico habitu corporis gaudent, ad hunc morbum maxime proclives sunt. Apoplexia, nullo præeunte signo, non raro homines corripit, et æger solo prosternitur, perculsus subito, quasi ictu fulminis, quod antiqui revera accidere credebant, et inde nomen Apoplexia originem deducit. Aliquando morbus gradatim accedit, et insultui ejus plerumque hæc symptomata antecedunt, quæ quoad numerum, gradum, et ordinem maxime discrepant, nunc tantum paucos dies, nuuc menses vel annos ante impetum morbi valent. Homo se magis hebetem et stupidum esse quam solito sentit, sensus

lassitudinis cum torpore vel sensu ponderis circa caput plerumque adest; dolor capitis et gravitas ejus, cum scotomate et sensus quasi temulentiæ; facies florida est, et alia symptomata quæ auctam circulationem sanguinis in capite indicant, plerumque adsint; muscæ, tinnitus aurium, diversæ species et fugaces impetus vertiginis miserum ægrotum vexant: gravis cephalalgia, quæ modo per totum caput extendit, modo anteriorem partem capitis, in aliis exemplis posteriorem partem obsidens, cum sensu ponderis circa tuberes ossis occipitis, tensio dolorifica frontis, et pulsatio violenta temporalium arteriarum, cum epistaxi, plerumque adsunt; oculi ab paralytico affectu torquentur, visus multum afficitur; modo pars dimidia rerum tantum videtur, modo, non nisi in certo situ res observantur: modo fulgores, in aliis exemplis tenebræ, ante oculos videntur. Sensus olfactus plerumque imminutus est, et in multis exemplis in toto perditur: musculi linguæ afficiuntur, et vires pharyngis adeo imminutæ sunt ut æger non deglutire possit: vomitus supervenit, vires animi demissæ sunt, et æger ad unam rem pro longo tempore non attendere possit: noctes plerumque insomnes sunt, anxietas et palpitatio

cum impetibus frequentissimis incubus, ægrotum multum torquent. Hæ sensationes molestiores fiunt, et tandem morbus supervenit. Cum morbus, nullo præunte signo, impetum faceret, æger sine sensu vel motu cadit, facies fit rubra et tumida, venæ capitis, et præcipue venæ oculorum et frontis, augentur: magnus calor capitis, oculi opaci fiunt, et pupillæ dilatatæ sunt, palpebræ apertæ et rigidæ, et vires animi in toto perditæ sunt. Pulsus, initio, celer est, sed progrediente morbo, fit tardus et irregularis. Ex hoc stadio morbi aliquando æger vires musculares et perceptiones gradatim recipiscit. Sed in plerisque exemplis hemiplegia vel affectio unius lateris manet; mens plerumque affligitur, sensationes et perceptiones minus accuratæ sunt, vox indistincta est, fit immemor et timidus, et paralysis virium muscularium plerumque adest. Ubi morbus ad fatalem eventum festinet, vultus magis magisque rubescit et tumescit, sanguis ex ore, naso et auribus ruit; sudor profusus ex toto corpore fluit. Respiratio fit magis irregularis et convulsiva, et non sentitur plus quam ter aut quater in sexaginta parte horarum. Pharynx fit insensibilis; maxilla cadit, oculi opaci fiunt, convulsiones

superveniunt, paralysis musculorum, et præcipue sphincterorum adest, utpote fæces invito emissæ sunt : facies fit livida, extremitates frigescunt. Pulsus fit magis irregularis et celer ; omnes vires et animi et corporis recedunt, et tandem mors vitam pariter ac ærumnas miseri ægroti terminat.

SECTIO CADAVERIS.

In capitibus illorum qui hoc morbo perempti sunt, multa phænomena videntur : in multis exemplis cum duram matrem dividemus, magna quantitas sanguinis ex venis frontalibus et occipitalibus fluit : arteriæ et venæ sanguine turgidæ reperiuntur, substantia cerebri diversis modis vitiata apparet; aliquando colore peccans fusca devenit, et materia quasi sanguinea imbuta, et firmior quam solito : in multis exemplis, dura mater est densa, et arcte jungitur ossibus cranii, tunica arachnoidea opaca et spissa videtur, pia mater est insigne vascularis ; ventriculi quoque aucti sunt, sanguis extra venas effusus videtur, et magna copia in unum vel plures ventriculorum reperitur ; modo in cystis continetur, quæ aut cum uno lateralium ventriculorum, aut cum

superficie cerebri communicant; modo inter membranas, modo in substantia cerebri invenitur; sanguis coagulatus in variis partibus cerebri, et aliquando in theca vertebrarum videtur. Hepar in multis exemplis induratum invenitur, et adhæsionibus junctum ad peritonæum. Hæc sunt præcipua quæ in dissectione sese ostendunt.

DE CAUSIS PRÆDISPONENTIBUS.

Propositis nunc Apoplexiæ symptomatibus, et phænomenis in dissectione patefactis, ad causas prædisponentes est progrediendum; et inter præcipua illorum, sequentes enumerare possumus: Senectus, caput magnum, collum breve, plethora vel temperamentum sanguineum, obesitas, plena et generosa diæta, vita sedentaria vel defectus exercitationis, hæmorrhagiæ solitæ suppressæ. Intemperantia in usu liquorum spirituosum, æstas calida, vitia cordis et arteriarum, et omnia quæ circulationem sanguinis in capite augent. Quomodo hæc agunt Apoplexiam inducendo, pauca mihi liceat dicere; et imprimis,

Senectus.—Ab multis experimentis jam satis

probatum est, ut post certam ætatem, distentione et pressura sanguinis continuo factis, tunicæ arteriarum densiores evadunt, et vix distentioni cedunt, quo fit, ut vim venarum superent, et plus quam hæ contineant, et inde sanguine accumulantur venæ. Hæc accumulatio plerumque in capite obvenit, quia venæ in substantia laxa reconduntur, et a musculis distantes, horum auxilio motum fluidorum in accelerando destituuntur, et venæ inseruntur in capitis sinubus ad angulos, tardationi faventes. Hanc accumulationem consequitur Apoplexia.

Caput magnum.—In iis qui capita magna habent, major quantitas sanguinis ad cerebrum mittitur, propter evolutionem vasorum. Hæc quantitas plethoram venosam fecit, aut per cavitatem vasorum quæ extra cranium sunt, ad circulationem auctam non respondentem, aut per situm venarum quæ intra cranium sunt.

Collum breve.—Caput propius cordi situm est, et sanguis majore vi quam ubi collum magis productum est, et vasa minus evoluta sunt, torquendo facile angustantur, quo liber transitus sanguinis per ea multum impedietur.

Plethora.—Hæc agit, quantitatem sanguinis in corpore augendo, et sic producendo plethoram

in venis capitis propter majorem quantitatem sanguinis quæ ad cerebrum mittitur.

Obesitas.—Adeps in inferiore parte corporis collecta, supra vasa premit et circulationem liberam per ea multum impediet, et hinc major quantitas sanguinis ad partes ubi non aderat propellitur: hæc agit quoque, liberum descensum diaphragmatis prohibendo, et sic idoneum circuitum per pulmones impediendo; propter has causas major quantitas sanguinis ad cerebrum vehitur; et ut status plethoricus obesitatem sequatur, quam facile congestio induci potest, hinc patet.

Plena diœta et defectus exercitationis.—Hæ causæ agunt, habitum plethoricum inducendo.

Hœmorrhagiœ suppressœ.—Hæ quoque agunt, plethoricum habitum corporis inducendo.

Intemperantia in usu liquorum spirituosim.—Hi circuitum sanguinis per totum corpus non tantum accelerant, sed effectum peculiarem in capite exercere videntur, ut patet ex rubore vultus et pustulis qui circa ora illorum erumpunt, qui in usu horum indulgent.

Vitia cordis et arteriarum.—Tumores prementes in ullis arteriarum quæ sanguinem vehunt ad partes inferiores corporis, circuitum sanguinis

per eas multum impedient, et, ut antea dixi, propter hanc obstructionem, major quantitas ad cerebrum vehetur; et si ulla valvularum dextri lateris cordis afficiuntur, sanguis accumulabitur ibi, et liberum recursum ejus per venas ex capite hæc accumulatio prohibebit. Tumores quoque in cerebro crescentes, vel ulla vasorum capitis ossificata, liberum circuitum sanguinis per hoc viscum impediendo, ad apoplexiam prædisponent.

CAUSÆ REMOTÆ SEU EXCITANTES.

Inter causas remotas seu excitantes, sequentes ut præcipuæ enumerari possunt: Affectus excitantes animi; exercitatio violenta; satietas, inebrietas, calor, frigus, et vicissitudines horum, inclinatio capitis; aliquid circa collum nimium adstrictum, et quicquid per pulmones circuitum sanguinis obstat, ut videtur in cantando, inflando instrumenta, et vomitu, ubi propter inspirationem impeditam, circulatio multum prohibetur.

Affectus animi.—Hæ fluxum sanguinis ad cerebrum multum augent, quod videri potest in aliquo his moto, nam tunc facies fit florida et tu-

mida; et omnia signa adsunt quæ auctam sanguinis circulationem in capite indicant.

Exercitatio violenta.—Sanguis per actionem musculorum in dextrum latus cordis impellitur, et ut ad superficiem corporis permeare prohibetur, tunc propellitur ubi musculi non obstent, et facit distentionem in vasis cerebri, et sic Apoplexiam inducit.

Calor—Agit totum systema stimulando, et sic quoque majorem quantitatem sanguinis ad caput mittendo.

Vicissitudines cœli.—In calida tempestate sanguis superficiem corporis liberrime petit; si frigus vehemens post calorem ad corpus subito admoveatur, tunc sanguis ad partes interiores repellitur, et congestionem in aliquo interno organo faciat, et fortasse in cerebro, si prædispositio adsit.

Satietas.—Propter distentionem ventriculi liber descensus diaphragmatis multum prohibetur, et circulatio sanguinis per pulmones impedietur, et retardatio ad recursum sanguinis ex capite facietur, et sic Apoplexia inducetur.

Inclinatio capitis. Fluxus sanguinis ad caput per arterias multum acceleretur per inclina-

tam posituram capitis, quia cursus sanguinis contra gravitatem suam multum imminutus est.

Ligatura circa collum.—Hæc agit, quoque, premendo supra venas cervicis, et recursum sanguinis per eas prohibendo.

Inebrietas.—Hæc agit, ut antea dixi, quantitatem majorem sanguinis ad caput mittendo, et congestionem in cerebro producendo.

DE DIAGNOSI.

Attentione, ad symptomata inter hunc et alios morbos facile distinguere possumus. Apoplexia ab Epilepsia discernitur, absentia convulsionum, vel si adsint, mitiores sunt, et tantum unum latus vel partem singularem afficiunt; et si aura epileptica adsit, ad formandum diagnosin multum juvabit; quoque ab stertore et sopore discernitur. Apoplexia ab Paralysi facile discernitur, quia illa est affectio totius systematis, hæc est tantum partialis; pulsus est mollior et tardior, respiratio est minus difficilis, stertor et sopor non plerumque adsunt, et vires animi non in toto perditæ sunt. Apoplexia ab Syncope; in priori

actio cordis et arteriarum manent, in posteriori facies est pallida, oculi languidi sunt, et actio cordis et arteriarum pro tempore omnino cessat. Ab Inebrietate Apoplexiam diagnoscere, in multis exemplis maxime difficilis est, et sæpe hunc statum Apoplexia sequitur; sed in casibus lenioribus distinguere possumus ab odore liquorum spirituosum, et historia et temperamento ægroti. Ab Hysteria, sensu globi in gutture ascendentis; sed si hoc symptoma non adsit, tunc discernere possumus, viribus animi manentibus, et æger, quæ astantibus dicuntur, potest audire.

DE PROGNOSI.

Hæc est plerumque infausta; raro accidit, ut æger valetudinem integram recipiscet, sed plerumque vires animi imminutæ sunt, et hemiplegia aut affectio virium muscularium plerumque manet. Homo impetum semel expertus, ad aliam proclivis est. Cum paroxysmus est durationis magnæ, respiratio difficilis et stertorosa, deglutitio multum impedita; pulsus durus et celer, extremitates frigidæ, et fæces invito elabun-

tur, tunc morbus plerumque infauste terminat; sed ubi æger ad hunc morbum non proclivis est, et symptomata multo levia sunt, et si remedia quæ per paroxysmum adhibita sunt bonum effectum ediderunt, tunc terminationem faustam morbi liceat sperare: in multis exemplis, effusio sanguinis ex naribus bonam prognosin præbet.

DE RATIONE MEDENDI.

Consilia medendi ad tria capita referri possunt. 1. Remedia quæ utenda sunt, cum symptomata quæ minitant Apoplexiam, apparent. 2. Cum morbus impenderet, quomodo removetur. 3. Cum morbus removetur, contra recursus morbi cavendum est.

Hinc ad primum indicationem implendum. Cum rubor faciei et tensio dolorifica frontis et oculorum adsint, cum vertigine, sopore et aliis symptomatibus quæ auctam quantitatem sanguinis in capite indicant, tunc iis remediis quæ multum valent, plethoram vasorum cerebri ad diminuendum, (et inter hæc emissio sanguinis locum

primum tenet), utendum est. In emissione sanguinis, et ætate et temperamento ægroti dirigeremur. Si morbus in homine plethorici habitus minitetur, tunc emissio sanguinis illico fieret, aut per arterias temporales aut venas jugulares: sed si morbus in homine constitutionis debilis minitaretur, tunc ad collum aut tempora cucurbitula applicerentur; quamvis hoc est præcipuum remedium, tamen minora non negligenda sunt; cathartica multum produnt, et si morbus ex suppressione solitæ evacuationis minitatur, si possibile sit redigi debet. Hæc sunt præcipua ad primam indicationem efficiendum.

2. Cum morbus impenderit quomodo removetur; ægrotus statim in ampliore cubiculo removeretur, et frigidus aer liberrime admitteretur, caput elevatur, et omnia quæ reditum sanguinis ex capite impediunt, removenda sunt, et nullus in cubiculo adsit præter illos qui ad auxilium et solatium ægroti necessarii sunt. Emissio sanguinis statim fieret, et si prima emissio sanguinis non multum valeret, tunc altera et immo tertia fieret. Si paralysis unius lateris adsit, tunc emissio sanguinis ex latere quod non afficitur fieret.

Quod attinet ad quantitatem quæ detrahenda sit, nulla perpetua aut certa regula fieri potest, sed sanguis efflueret, donec pulsus magis naturaliter micare cœpit, vel æger signa sensus redientis ostenderet. Cataplasma et fomentationes calidæ ad partes inferiores corporis admoveantur. Affusio aquæ frigidæ in capite, et applicationes frigidæ, determinationem ex capite removendo, multum valent. Si vires pharyngis manerent, purgantia usurpantur, quæ cum summa cura exhibenda sunt, ne vomitum inducent, et sic impetum sanguinis ad caput accelerando, injuriam facerent. Si musculi pharyngis torpentur, tunc alvum ducere ope enematum necessarium est. Vesicatoria ad collum vel inter scapulas, pressuram sanguinis ex cerebro tollendo, multum produnt.

3. Nunc ad tertiam indicationem, vel prophylaxin morbi. Cum morbus removeatur, et ægrotus ad sanitatem revocatur, et ubi causæ prædisponentes adsunt, omnes hæ causæ quæ majorem quantitatem sanguinis mittendo agunt, sedulo evitandæ sunt: omnes affectus animi, vita sedentaria, nimium studii et exercitationis, et omnia quæ, ut antea dixi, impetum sanguinis in vasis ce-

rebri augent; obstipatio sedulo cavenda sit, alvus lenibus catharticis laxetur, temperantia in cibo et potu observaretur. Homo ad hunc morbum proclivis, diæta parcissima ex oleribus et radicibus uteretur; liquores spirituosi evitandi sunt, et potus ex aqua pura vel cerevisia tenui constare debet. Emissio sanguinis ab auctoribus laudatur, sed non videtur mihi utilis esse, nam plethoram inducit, et sic prædispositionem ad Apoplexiam præbet. Setacea in collo multum laudantur. Exercitatio lenis utenda sit, et si res sinerent, equitatio multum commodi præbet. Caput in cubito elevaretur, et ligatura circa collum, prohibenda est. Vicissitudines temperiei sedulo evitentur; et denique omnia quæ aut curam aut anxietatem ægroto afferunt, cum summa diligentia cavenda sunt.

FINIS.